

Datum apud Scafusam, II. Kalen. Iunii, indictione tercia, anno Domini millesimo CCC quinto, regni vero nostri anno septimo.

V. 1309 Mai 30 (fol. 19').

Henricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum.

Dignum fore censemus, ut quorum fides et sincera devotio in Romani imperii obsequiis invenitur comprobata, illos gratia et favore nostre maiestatis clementia prosequatur. Noverint igitur presentis etatis homines et future, quod devotis supplicationibus nobilis viri Iohannis Dalphini comitis Vienn(ensis) fidelis nostri dilecti gratiosius inclinati omnia privilegia^a, iura, gratias, libertates, concessionem et donationes, prout a dominis imperatoribus et Romanorum regibus predecessoribus nostris memorato comiti et provide sunt tradita et concessa, eidem innovamus, approbamus et presentis scripti patrocínio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre innovationis, approbationis et confirmationis paginam infringere vel eis in aliquo ausu temerario contraire. Quod qui secus facere presumpserit, gravem nostre indignationis offensam se noverit incursum. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde conscribi et nostre maiestatis sigillo iussimus communiri.

Datum Constantie, III. Kalen. Iunii, anno Domini millesimo tercentesimo nono, regni vero nostri anno primo.

VI. 1310 Aug. 30 (fol. 18').

Henricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum.

Dignum et condecens^b arbitramur^c, ut hii, qui nostris et imperii ferventer invigilant obsequiis, amplioris beneficentie pre ceteris premia mereantur. Quia igitur nobilis^d vir Guido Dalphini dominus Montis Albani fidelis noster dilectus nobis cum quadraginta dextrariis per unum annum integrum ultra montes in Ytaliā servire promisit pro stipendiis consuetis, nos huiusmodi ac alia, que idem Guido nobis impendit obsequia et inantea impendere

a) Folgt 'iura' getilgt. b) Corr. aus 'concedens'. c) Aus 'mur' ist 'ntes' corr. d) Am Rand für getilgtes 'fidelis'.